

in opus Grotii de J. B. & P. in Æneide nullam particulam juris naturæ & gentium intactam reliquit; indicante eodem Boeclero loco citato alios etiam poëtas, qui mores hominum carminibus suis vel regunt, vel corrigunt, ac proinde juris naturalis interpretibus annumerandi sunt. Quin adjuvant eorum non pauci & civilis prudentiæ studium, dum aut recensent virtutes & res gestas principum ac ministrorum, ut *Panegyrici*; aut procerum motus exprimunt, fraudesque tyrannorum & aulicorum detegunt, ut *Tragici*; aut civitatum mores jucundissima quadam descriptione & imagine exhibent, ut *Comici*; aut denique cunctorum tam principum & ministrorum, quam privatorum hominum consilia & actiones false traducunt, ut *Satyrici*. Proinde errant illi, qui scriptis poëtarum paganorum in philosophia morali utendum negant: aliud sane suadet virtus eorum & eloquentia, summaque suavitas, præeunte in primis Paulo, qui ut gentium doctor erat, testimonia etiam ex ethnicis poëtis adduxit, e. g. *Act. XVII. 28.* illud Arati hemistichion: τὸ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν. *I. Cor. XV, 33.* versum jambicum Menandri: φθείρασι κακὰ κρητὰ ὁμιλία κακά. & *Tit. I, 12.* hexametrum Epimenidis Cretenfis, ac Callimachi Cyrenfis: κρητὲς αἰεὶ ψεύσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Rationem quare Paulus testimonia illa attulerit in medium, Hieronymus ostendit in *Cap. I. ad Tit.* ita scribens: *Putant quidam Apostolum reprehendendum, quod imprudenter lapsus sit, dum falsos doctores arguit, illos*

*Adjuvant
& juris naturalis &
civilis prudentiæ studium.*

Pauli testimonia ex ethnicis poëtis adducta.